

1562 Quæcumque incolumi religione, ac regno præstare poterat, ul-
tro detulit; illorum cum Guisii controversias per amicos viros
componendas curavit. Hac incredibili humanitate insolentiores
facti, catholicam excindere religionem, prisca regni instituta
evertere moliuntur; arma comparant; socios sibi adjungunt;
auxilia externa implorant. Hæcne Regina impune permittat,
quæ majorum exemplis edocta, insita pietate nihil catholica re-
ligione antiquius habet? Illius certe animo immobilis sententia
insidet, cuivis potius discrimini regnum objicere, quam ut ul-
la, vel minima in re catholica religioni detrimentum affer-
atur. Itaque cum leniendo, ac ferendo malum in dies recru-
descat, vim adhibere, arma comparare, frangere perditionum
hominum, ac perduellum audaciam parat: cunctos Reges,
ac Principes ad incendium, quod miserrime Galliam univer-
sam depascitur, extinguendum accessuros confidit. Pius Pon-
tifex Maximus, cuius præsertim catholicæ religionis tuendæ
partes sunt, copiis ad Avinionem coactis, ac quibuscumque
potest viribus, & auctoritate presto adest. Philippus Hispa-
niarum Rex, ad quem mali illius contagio ob propinquum Bel-
gium maxime pertinet, decem peditum, quatuor equitum mil-
lia pollicetur. Emanuel Sabaudiæ Dux tria peditum millia
subsídio mittit. Carolus Lotbaringiæ Dux, cuius ditio pene
in Galliæ visceribus sita est, nihil non parat, agit, molitur.
Venetam quoque Rempublicam difficillimis bisce, ac pertur-
batis Gallie temporibus non defuturam Carolus, Catharina
mater, atque adeo regnum universum certo sibi persuadent,
dum arctam Gallorum, ac Venetorum jam inde ab utriusque
imperii incunabulis amicitiam mutuis officiis alitam, atque
auctam, jura fœderum, consociata arma, bella gesta, relata
victoriae egregia præmia intuentur: atque, ut hæc omnia de-
essent, catholicæ religionis periculo permotam, opem amplissimo
regno laturam autumant, cum illius pietatem, ac religionem
contemplantur, pro qua tuenda nullos majores vestri labores,
nulla pericula, nullos sumptus ullo unquam tempore reformi-
darint. Neque vero terrestres copias, aut instructas ad bel-
landum classes Regina petit; sed, qua in primis nunc Gallia
indiget ad belli sumptus sustinendos, argenti vim mutuo fla-
gitat, sine qua diu milites, atque exercitus contineri nequeunt;

quam